


NUMMI OBSIDIONALES

VRBIS HARLEMENSIS AB HI-

spanis occupatæ: Anno Christi

1573.



Arlemum, urbem amplam, opulentam atq; amoenam, antequam Toletanus obsidione cingeret, Haraldum misit, qui oppidanos ad deditionem hortaretur: sed illi ad Naerdemense exemplum, suspectam habentes fidem Hispanicam, laudabilius duxere, pro patriæ defensione mortem oppetere. Oppugnatione statim exinde ab Hispanis instituta: obsessi vicissim tam diligentes & industrii fuere adversus invadentium hostium conatus, ut nunquam cun-

culos egerint, munitiones in vallo erexerint: nec astus aut dolos excogitarint, in quibus non fuerint ab illis præventi & elusi. Neque solum in repellendis hostibus solliciti & prompti fuere, sed etiam in adoriendis acerrimi. Interhas Aurantius obsessis subvenire conatur, sed successi infelici. Propè urbem enim conflictu exorto Aurantiani fugiunt: cadit Batenburgius: & cum eo mille & sexcenti milites: quatuordecim signa militaria capiuntur, & trecenti currus. Et fame itaque sævissimâ pressi oppidani, & auxiliis destituti, Toletano sese, pacti facultatum suarum immunitatem, dedunt. Germanis, ademptis armis impunè abire permissum: ex aliis, qui partim Angli partim Galli, partim Wallones erant sexcenti & eo amplius laqueo & gladio periçre: fèrmè trecenti vestibus omnibus, usque ad interulam, exuti, & extra urbem rapti in lacum præcipitati sunt: paucis admodum vira donata. Deditione factâ nullum animal vivum in urbe, nec

radix herbarum; nec folium in arboribus reper-

tum fuit. *Dinotus.*

